



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1525. usque ad annum 1529

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118480

§. 3. Lutheri sententia a Sueviæ Rusticis rogata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66472)

Sæcul. XVI
A.C. 1525

§. III.

*Lutheri sententia a Sueviæ rusticis
rogata.*

*Inter opera
Luth. contra
cælestes pro-
phetas, &
fanaticos.*

Hoc scriptum, quod avide per totam Germaniam passim excipiebatur, velut classicum belli rustici, ac rebellionis fructus erat: Præprimis Sueviæ Rustici ad Lutherum provocarunt, atque illum, ut de eorum dissidiis adversus Nobiles sententiam suam ediceret, rogarunt, spe freti, hunc abs dubio eorum seditioni suffragaturum, cum illum in suo *de Christiana libertate* libro doctrinam haud absimilem tradidisse nossent. Verum Lutheri responsum nec Principibus nec Rusticis placuit; nam his scripsit, seditionem a Deo prohiberi, illis vero data epistola exprobravit, quod in subditos tantam exercerent tyrannidem, quam hi ultra tolerare, nec possent, nec vellent, nec deberent; per hanc vero vocem: *deberent* rusticis ad seditionem arma subministrabat, quæ alia ex parte illis auferre simulabat. Tertiam denique epistolam generatim tam ad Principes quam ad Rusticos exarrabat, & tam hos, quam illos inique agere asserbat, atque ambos hortabatur, ut mutuo consensu pacem inirent, interminata etiam divina castigatione; paulo post

post quartam perscripsit epistolam, in qua Principes stimulat, ut ad exterminandos rusticos arma caperent, sine miseratione omnes jugularent, nullisque, nisi ultronee se dederent, vitæ veniam concederent, eo quod hi miseri homines salutaria ejus monita neglexissent: Cum vero tam crudele iudicium ab aliis improbari cerneret, mox data opera alium edidit libellum, in quo ostendere conabatur, nullam erga seditiosos commiserationem esse habendam, imo nequidem illis parcendum, quos etiam invitos tumultuantium multitudo ad seditiosos quosdam insultus abripuisset (*).

Sæc. XVI.
A.C. 1525.

§. IV.

(*) Ita nempe Lutherus versipellis pacis conciliator, & criminum vindex videri voluit, ubi paulo ante verbo, & opere belli incensor extitit, Docuit Lutherus in libro de Captivitate Babylonica: *Neque Papam, neque Episcopum neque ullum hominem habere jus unius syllabæ constituendæ super Christianum hominem, nisi id fiat ejus consensu; hoc esse vere hominum servos fieri, statutis, & Tyrannicis eorum legibus subjici, Christianis nihil ullo jure posse imponi legum, nisi quantum volunt: eum sint liberi ab omnibus &c.* In libro de sæculari potestate apertius Populo Principum vilipensionem instillat seditiosis hisce verbis: